

qui, cum CICERONE, L. I. de N. D. Athéos. Prothagoram, Diagoram, Melium, Theodorum Cyrenaicum, imo, cum Empirico, Prodicum, Critiam, Epicurum, cet. notabant ipsi, ut eo rectius vitari possent. Supprimere nitebantur hi omnes κοινὰς ἐνοίας et procliuitatem cognoscendi Deum, Rom. I. 19. illam ψηλάφυσιν et palpationem, Act. XVII. 27. non Dei ipsius, sed ex iis, quae palparamus, ratiocinia, Deum omnino dari; τὰ ἀόρατα (diuina, quae Dei sunt) ἐκ τοῖς ποιήμασι intelligentes, Rom. I. 20.

De uocatione Gentilium non dubitamus, DIRECTA,

solemnius repetita,

antiquis et recentioribus asserta,

VI. Progredimur in nostris, pro adstruenda Gentilium ἀναπολογησιᾶ, rationibus, et, de insuper habita uocatione Gentilium nunc quaedam commemoramus. Huius alia indirecta, alia directa dicitur. Directam Deus, tribus uicibus, seu temporibus, utpote Protoplastorum, Noachi et Apostolorum N. T. solenniter reuelauit. Per Prot. Euangelium, Gen. III. 9. 15. omnibus indiuiduis in Adamo, tanquam stirpe et capite generis humani, delitescantibus, et ex eo nascituris Gentilibus quoque, uocatio ad salutem primum promulgata, a Noacho, secundo humani generis Parente et iustitiae praecone, post diluuium, suis postea inculcata, Gen. IX. 9. tandemque; aduentu Christi et praedicatione uniuersali Euangelii, in N. T. plenissime obfignata fuit; Marc. XVI. 15. 20. de qua ultima, CLEMENS ALEXANDRINVS Strom. VI. p. 499. sequentia fundit uerba: Ἑλλησι φιλοσοφία μέχρι τῆς παρεσσίας ἐντεῦθεν δὲ ἡ κλήσις ἢ καθολικὴ εἰς περισσίων δικαιοσύνης λαόν, κατὰ τὴν ἐκ πίστεως διδασκαλίαν, συνάγοντος δι' ἐνός τῶ κυρίου, τῶ μόνου ἐνός ἀμφοῖν θεῶ Ἑλλήνων τε καὶ βαρβάρων, μᾶλλον δὲ πάντος τῶ τῶν ἀνθρώπων γένους, Graecis data est Philosophia usque ad aduentum: hinc autem est uniuersa ac generalis uocatio, ad peculiarem populum iustitiae, per eam, quae est ex fide, doctrinam, per unum congregante domino, qui est unus solus Deus amborum, Graecorum scilicet et barbarum, uel potius totius humani generis. Uniuersalitate autem non tantum mandati, sed et exercitii, respectu Gentilium, haec gaudet uocatio. Sicut enim, inquit, QVENSTEDIUS, in Syst. P. III, c. V. p. 465. lex in monte Sinai promulgata, non solos Israelitas tunc uiuentes et praesentes obligabat, sed omnes etiam eorum posteros, imo ipsas quoque GENTES, Deut. I. 6. IV. 11. sic quoque trina illa uocatio non tantum pertinebat ad praesentes, seu eos, quibus immediate facta est, sed etiam ad eorum posteritatem. Atque hoc iudicium conueniens quoque est 1) uoluntati Dei antecedenti. Sicut enim amissio salutis, per unum Adamum, omnes inuasit homi-

homi-